



Quis possit dedecente silentio obstrictissimum pietatis legi affectum inter mystica SIONIS LEVCOREAE peracta tripudia tenere, quae hisce praepriis diebus SUMME VENERANDO EPHORO nostro parata fuisse compertum, ut oporteat consilium capi audacius, et quod vires penitus transgrediatur verborum et adparatu, et elegancia destituito, ut in maius hinc iusti vituperii periculum ruat, quam quod quivis necessitatis praetextus declinet, nisi inde infirmae spei quoddam praesidium praestetur, ubi candida mens loqui sustineat, vel balbam, vitioseque haesitantem linguam ipsi quodammodo suffecturam, quam ex tenera, tantoque infucata magis sui indole commendari alias in infantibus, experientia docet. Optandum fuerat, si per dissitas hasce regiones, quae defigendae fato obtigere, propius Almae Matri, cuius in sinu olim enutrito perbelle mihi, adfuisse tum licuisset; cernerem enim eam sancto quodam voluptatis sensu tactam, pluresque sui amantes eiusdem participes reddentem, ut nunquam non solet, ubi promeritis, eruditionisque gloria et fama Inclytis Viris, iure id sibi poscentibus, trophaea honorum digna statuere prouocata habet: audirem plausus solemnes pie gratantium sedes sublimiores in deo charae Eusebii templo collocatas, modesteque et obseruanter iungerem me eiusmodi Gratiarum choro totus laetitia excitatus, ut a cliente gratoque alumno oppido requiritur; ast cum ea seculi huius sit imperfectio, qua rarius vel innocentissimi voti damnemur, iuuerit ex aliqua saltem parte genio suo indulgere. Vix temperarem mihi in laudes et elogia OPTIMI EPHORI nostri, quibus maxime effulget, cunctosque in sui admirationem venerabundos rapit, relictis